PROSECUTIO CRISEOS

IN CONCLUSIONEM IV.

Vindicatur sibi Sanctus Bernardus.

MIrificum est Theologi nostri ingenium. Nunc, instar pellæi Juvenis, res nodosissimas Tenediâ secat bipenni, tum, cum videlicet planum iter obstructum est, nodos in scirpis quæritat. At festucas ab ægroto legi, vel chondrillæ flosculos decerpi, Medicis desperatæ vitæ indicium est. Heroico nuper ausu nova bella ciens, vomeresque in gladios conflans contenderat in NOTIS suis, dilutis SPONGIA nostrâ, Jansenium Propositionis hæreticæ, à Tridentina Synodo profligatæ, desponsatorem esse. Deprompta è Bellarmino sectariorum, quam Concilium prostravit, sententiâ, evici, verba eorum, & sensum, à Jansenii dogmate, velut aquas Maræ & Silöes, dissidere.

Effugium inurbanum, quod captarat Theologus in ASSERTIONE NOTArum, interjectis uncis adulterinis, qui evidentissimum Authoris sensum crudeli lanienâ dilacerabant, convulsum, comminutumque fuit, locis variis gloriosi Scriptoris meridiano jubare clarioribus accumulatis.

Prætermisso jam, aut tacitè semoto disputationis cardine, quem in eruendâ ex ipsiusmet Jansenii verbis Jansenianâ sententiâ versari vel cæcus videt, in subnatas liticulas præcipuè se effundit.

Intrepidè nimis in (*a*) *Assertione* sua percunctatus fuerat, *auderemne negare, vocem eam*, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia, *apud sacram Antiquitatem extare nusquam?* Quamvis ad scopum directè nobis præfixum non magni interesset, ausurusne id essem, an secus, ausus sum tamen, & indigitavi locum Bernardi 50. Sermone in Cantica, locum sanè, si avulsus spectetur, immitem prorsus, & omni Janseniano crudiorem multis parasangis.

Verum dexterâ suâ at plumbeâ nonnihil gladiatoriâ eludere illum tentat Theologus, ac divendere pro objectione, quam Bernardus, si credimus illi, etiam (*b*) DATA OPERA REFUTAT. Hæreo, quod non magis reformidet censuram publicam, cæteroquin satis delicatus, aut an me, & Lectores nostros, ac Bernardi, pepones, stipites, fungos autumet. *Malum* (inquit, allegato Bernardo) *quod ad fontem unde verba desumpta sunt, mihi & cuilibet pateat accessus.* Certè malum, mi Theologe, sed ædepol in caput tuum. *En igitur*, ait, *discursum Bernardi integrum*, vel

(a) *Fol.* 2. (b) *In Tit. Concl.* 4.

vel potius per me ilico integrandum. "Est (inquit Bernardus) charitas in actu, „est & in affectu. Et de illa quidem, quæ operis est, puto datam esse legem homi„nibus, mandatumque formatum. Nam in affectu quis ita habeat ut mandatur? „Ergo illa mandatur ad meritum, ista in præmium datur. Cujus initium quidem „profectumque, vitam quoque præsentem experiri divinâ posse gratiâ non negamus, sed planè consummationem defendimus futuræ felicitati". *Quibus verbis,* (ait Theologus) *mellifluus Prædicator contendit, dicendum non esse, præcipi nobis in hac vita consummationem charitatis, quam ipse affectualem vocat, sed eam in futuram reservari pro præmio.* Non CONTENDIT, mi Martine, sed PUTAT. *De illâ,* inquit, *quæ operis est,* PUTO *datam esse legem hominibus, mandatumq́ formatum*; aut si in voce *defendimus* aliquid pro te mysterii latere existimas, absterget illud, si adire libuerit, Calepinus tuus.

Quia tamen erant, inquis, *qui aliud mallent, nolens acrius cum eis contendere, paratus est hoc in ipsis pati, modo ipsi vicissim concedant aliud.* Hic tuo te gladio incipis jugulare: hoc enim *aliud,* quod sibi CONCEDI secundum te Bernardus postulat, est ea ipsa, quam assignavi propositio, ut mox videbis. " Aut si placet tibi „(Bernardi verba sunt) magis de affectuali datum fuisse mandatum, NON INDE „CONTENDO, dummodo ACQUIESCAS ET TU MIHI, quod minimè in vita „ista ab aliquo hominum possit vel potuerit adimpleri".

Fingit Bernardus adesse sibi comitem, qui velit & propugnet mandatum illud de affectuali etiam charitate atque magis de illa debere accipi. Quid Bernardus ad hæc? *Non contendo,* inquit. Velut si in antecessum Theologo nostro statuisset obsistere, & os illi obstruere: tu dicis me contendere, non contendo, ait Bernardus. An hæc, amabo jam, refutantis verba sunt, & quidem *datâ operâ refutantis?*

Sed arrectâ mente auscultemus sequentia, & modò saltem Homerum dormitasse noscamus. *Non inde contendo* (ait Mellifluus Doctor) *dummodo acquiescas* &c. Concedit comiti explicationem suam, sed ista conditione ac lege, ut & aliud sibi per conventionem concedat. Quod istud aliud? *Dummodo acquiescas & tu mihi, quod minime in vita ista ab aliquo hominum possit, vel potuerit adimpleri.* Hæc igitur, & quæ sequuntur, non amplius socii disputantis, sed solius Bernardi verba sunt. *Quis enim* (inquit) *sibi arrogare id audeat, quod se Paulus ipse fatetur non comprehendisse?* Probat sibi debere concedi, quod paciscitur, cum nemo fidelis se supra Paulum efferre nisi typho turgentissimus sustinuerit. Prosequitur dein asseveratione tersissimâ & securissimâ: *Nec latuit præceptorem, præcepti pondus hominum excedere vires: sed judicavit* UTILE *ex hoc ipso suæ illos insufficientiæ admoneri, & ut scirent sanè, ad quem justitiæ finem niti pro viribus oporteret.* Utique talis sermo apprimè convenit reprobanti, vel, ut Theologus ridiculò jactitat, *datâ operâ refutanti.* Posthæc immediatè Bernardus subtexit, quod allegaveram: *Ergo mandando impossibilia, non prævaricatores homines fecit, sed humiles, ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo: quia ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo.* Ut integer ederetur locus, non oportebat resecare sequentia, quæ jam suppleo. *Accipientes quippe* MANDATUM, *& sentientes defectum, clamabimus in cælum, & miserebitur nostri Deus, & sciemus in illa die, quia non ex operibus justitiæ,*

quæ

qua fecimus nos, *sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* ***Mandatum illud*** (inquit) ***quod vires nostras excedit accipientes***, ***clamabimus in cœlum***, ait in persona sua, ut manifestò ostendat, sibi & illam socii sui explanationem probari, è qua & tam profundæ humilitatis sensus, & tam salutaris ad virtutem annisus, & orationis tam fervidæ ac tam suavis misericordiæ effectus scaturiant.

Quod & ex sequentibus, quæ perperam conatus est Theologus suam in causam trahere, eâdem perspicuitate elucet: ***Atque hæc dixerim siquidem consenserimus affectualem legem fuisse mandatam***, sicut consentimus, istâ videlicet lege, ut acquiescamus præceptum istud in hac vita adimpleri non posse, & esse impossibile.

At hoc ipse negaverat (ait Theologus) *quin & iterum negat.* Ubi quæso? *Dum addit:* "Sed actuali id potius convenire, inde vel maximè apparere videtur", &c. Vah oscitantiam! an non decebat te, mi Martine, saltem voculâ *potius* expergefieri? An ea negantis & *data opera refutantis* est, ac non potius utrumque probantis, & unum alteri præferentis? Qui gemmas potiores habet, num aurum repudiat? Verè itaque probavit, laudavit, atque *utilem judicavit* Bernardus sententiam, quæ ***mandatum*** istud, de pleno cordis affectu intellectum, & *præceptum esse & humanas vires excedere* asseverat.

Mentem hanc à *Veteribus* illis, quos Theologus agnoscit, Augustino præsertim, Bernardus hauserat, cujus gravissimam doctrinam, absit, ut temneret, aut, quod multò admodum deterius est, datâ operâ refutaret. Quod verò subjungit Theologus, *Veteres* præcepta illa dixisse *præcepta impropriè dicta*, commentitium est, aut certè demonstratum oportuit, non assertum.

Itaque concludo peremptoriè, Bernardum tradidisse, Deum MANDANDO IMPOSSIBILIA *non prævaricatores homines fecisse sed humiles*, adeoque & potuisse Propositionem hanc, à solo matrice decerptam, veluti Jansenianam, damnandam sisti, eodemque vel etiam tetriore cauterio inuri.

IN CONCLUSIONEM V.

Vanum Theologi effugium obsepitur.

"NOn ausus est (infit) negare in Crisi sua Adversarius sufficere ad dam-
"nationem, si quis dicat, *præcepta* QUÆDAM *Dei justis* QUIBUSDAM
"*esse impossibilia*: neque in eo solum sitam fuisse hæreticorum Vesa-
"niam, quod ad *omnes* Justos & ad *omnia* similiter præcepta hoc extenderent.
"Hoc igitur sumendo, videamus" &c. Eccum aliud evagationis genus. Quâ lege, qua dialexi procedit hæc argumentandi methodus: ***Non ausus est negare***, ***hoc igitur sumendo*** &c. Sic & assumas licet, Duci Othomannico restim apponi, Constantinopolim mutuâ cæde concidere, atque Imperatorium militem totâ Romaniâ potiri. Neque enim ego quidquam illorum inficiatus sum. Primò utique demonstrandum fuerat, debuisse me parergis istis responsum; ac si ad omnem saltum extra oleas continuò tenerer succedere.

At

At quoniam in hoc diverticulum jam commigravimus, nego perquam exertè, *ad damnationem sufficere*, aut hæreticos per Concilium Tridentinum umquam damnandos fuisse, si dumtaxat primum præceptum, vel præceptum *Non concupisces* impossibilia servatu dixissent: potuissent enim ad Veteres illos provocare, quorum honori Theologus supra pepercit. Verum meritò ab Ecclesia percussi fuêre, cum non formidarent asserere: *Æque nobis impossibilia esse omnia præcepta, atque illud* NON CONCUPISCES. Sed non opus est adversum hæc denuo armari Theologum. Nihil enim deliria ista ad orbitam vel spartam nostram.

Propius ad chorum accedit, quod post improvidum assumptum subtexit: " Videamus (ait) an rectè neget Adversarius, Jansenium simpliciter dicere, *præ-„cepta quædam justis quibusdam impossibilia esse.*" Videlicet absolutè, & non tantum secundùm quid, ut cum Theologo Schola loquitur. Hoc certè negavi, & negabo in æternum, nisi magnus quidam Apollo arcana reseratione dilucidè ac distinctè monstrarit. Intendamus, quid feret promissor Theologus. " *Adfert multa* „ (inquit) *ut hoc evertat, ex capite illo decimo tertio lib.* 3. *de Gratia Christi apud „Iansenium*". Plura sanè quam viro cordato satis sint, & quam Tu malles Martine. *Sed frustra*, subdis. Cur frustra, amabo? Quo repentino fulgure strata sunt omnia, quæ tam operosè congessimus? *Quia* (inquis) *solum ostendit, quid alibi dicat Iprensis Episcopus, vel quid dicere tantum debuisset* §. *illo fatali, qui est secundus à fine, & incipit:* HÆC IGITUR OMNIA; *ubi habet propositionem damnatam.* Cavillator! hoccine est *solum ostendere, quid* ALIBI *dicat Iprensis Episcopus*, cum teipso teste nihil produxerim nisi ex eodem illo famoso Capite, è quo litigiosa propositio dilacerata est? Deprome nobis ergo è Jovis cerebro modum sanctiorem, quo Authoris cujusdam sensus accuratius elici, dignosci, penetrari possit, quam perlustrato & excusso illo Capite, ubi quæstionem controversam sigillatim ac studiosè tradit. Quæ via rectior, aut fortunatior ad pervestigandam cujuscumque Scriptoris sententiam umquam à quopiam fuit inita? Quid igitur ambitur his versutiis? An fortasse voles per penetrationem characterum iisdem illis lineis, quibus propositio disputata conscripta est, simul ejus explanationem densari? Si hoc non est desperatâ causâ ad vitilitigatorum castra confugere, nihil capio.

" Demus ergo (inquis) illi totum, quod contendit dici à Jansenio. Præce-„dentibus aliquot §§. solum dicat Scriptor infelix, *Esse quædam homini præcepta, „secundùm statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia:* ubi videri posset „minus peccasse, dum impossibilitatem istam hoc termino limitat, *secundùm sta-„tum & vires in quibus constitutus est*. Dicat deinde plura alia, in quibus vel nihil „vel parum peccasse possit, puta dum non de Justis, sed de peccatoribus, præ-„sertim obcæcatis & obduratis vel infidelibus loquitur, de quibus hoc loco non „est quæstio; dum item de *impotentia*, vel quodam *non posse* dumtaxat agit". Quid hoc est, nisi palmam dare, & fateri se victum? Arripimus universa, & victrice lauro triumphum canimus.

At ne albos equos festinatò nimis expediamus, obmurmurantem adhuc semel Theologum audiamus. " Dum certè ad §. illum fatalem venit, *Hac igitur omnia*, „SEIPSO MAJOR, ET OMNIA PRÆCEDENTIA SUPERGRESSUS, ex ante-„cedentibus non per omnia probis, sed tamen minus improbis concludit, quod

ante

„ante ipsum Tridentinum & Patres, & post Ecclesia Romana cætero orbe Catho- „lico adsentiente, dirissimè improbavit". Ventosa, rancida, & cassa verba, nugæ, gerræ meræ, fascini ad lectorum incautorum oculos præstigio obvelandos. Ne hilum est veri in pigmentata illa pericope: *Seipso major & omnia præcedentia supergressus.* Simpliciter & nudè colligit scriptor felix infelicitate sua, contexit, coadunat, quæ antea per partes separatim ac sparsim dixerat. Solaribus radiis rem illustro.

Paragrapho quarto famosi capitis intulerat ex Augustini Doctrina. *Esse quædam homini præcepta secundum statum & vires in quibus constitutus est impossibilia.* §. 6. dixerat, *hanc impotentiam reperiri non solum in excæcatis, & obduratis, & infidelibus, sed etiam fidelibus & justis, qui & fidem Christi & charitatem Iustitiæ susceperunt.* §. 7. monstrarat, *hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt.* Quod ubi adhibito exemplo Petri Apostoli (qui, ut ait Augustinus, *putabat se posse quod se velle sentiebat*) fusè per multos articulos probavit fieri defectu virium, quæ per divinam gratiam infirmæ voluntati affundi debent, demum paragrapho 14. omnia seorsim probata consarcinans litigiosam edit periodum: *Hæc igitur omnia plenissimè planissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini Doctrina certius ac fundatius, quam esse Præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia.* Ac, ne quo sensu hæc traderet cuipiam luscitioso ambiguitas emergere posset, mox in memoriam denuo reducit exemplum Petri, quod ante multis diduxerat, additque, *illam talia præcepta* (V. G. subeundi martyrii) *implendi difficultatem inde proficisci, quod vires voluntatis infirmæ sint, propter concupiscentiam à volendo bono retrahentem, cujus renisu fit, ut vires voluntatis distrahantur, atque ita homo non plenè velit, non integrè velit, non totâ voluntate velit. Hanc vero sibi tribuere non esse potestatis humanæ, sed solius gratiæ Dei, quam propterea assidue ex fide invocamus.* Potestne aliquid edici fulgentius ac radiantius? Et adhuc audet & ait Theologus: " Hoc sane loco nulla limitatio ad verbum *impossibilia* quod „attinet. Neque istud *secundum præsentes quas habent vires* vocem istam afficit & „emollit, sed forte illas, quæ & hac emollitione non parùm egent: *volentibus & „conantibus.* Simpliciter ait Author imprudens *Iustis* quibusdam, quales descri- „bit, *præcepta quædam Dei impossibilia esse.*" Quis ista ferat! Totâ *Crisi* nostrâ non aliud egimus quam ineluctabilibus Jansenii verbis liquido demonstrare, istud *secundum præsentes quas habent vires* afficere, & emollire vocem *impossibilia*, & ecce sine ulla refutatione locorum assignatorum, sine ulla probatione contrariâ, frigidè nobis & languidâ manu regeritur: *Neque istud*, SECUNDUM PRÆSENTES QUAS HABENT VIRES, *vocem istam afficit aut emollit.* I nunc, & cum malis mulieribus altercari delige, quam cum istius astri Theologis ac Philosophis.

Dispudeat profectò Doctorem Lovaniensem Jansenio allinere sententiam omnimodæ impossibilitatis mandatorum Dei, quando jam & ipsos * Patres Societatis candidâ confessione asseverantes habemus: *Iansenium per τὸ* IMPOSSIBILIA *non aliud voluisse significare quam impotentiam Iustorum defectu gratiæ; neque ipsum hanc suam intentionem intra mentis abdita continuisse, sed declarasse evidenter in suo*

(a) *P. Iacobum de la Fontaine in Thesibus defensis Lovanii 4. Maii 1688.*

suo volumine, & quidem hoc ipso loco, ex quo propositio prima decerpta est. Dein allegatâ propositione litigiosâ cum iis quæ subsequuntur, *en*, inquit, *quid intelligat Iansenius, quid significaverit per το* IMPOSSIBILIA*, impotentiam nempe tenentem se ex parte subjecti. non verò ex parte objecti quasi mandata in se contineant impossibilitatem .... Nonne sat clarè exprimitur impotentia subjecti? Vbinam autem Iansenius innuit impossibilitatem impletionis tenentem se ex parte objecti, seu præcepti? Quod autem subjectum impotens sit defectu auxilii, quo superveniente potens fiat, fatetur Iansenius his verbis* &c

Hortamur, ut hunc candorem ab novis amicis suis Academicus non refugiat mutuare.

Nescio porro, quid ad calcem *conclusionis* suæ musset, venarive velit ex postrema disputatæ propositionis parte, quam ipsum piget antea *non attigisse. Certè illa indicat*, inquit, *quàm simpliciter in priori possibilitas quorumdam mandatorum justis illic descriptis negetur.* Ubi hoc tandem indicat? DEESSE QUOQUE ILLIS GRATIAM QUA FIANT POSSIBILIA, *inquit Iansenius. An hìc forte subintelligit* SECUNDUM PRÆSENTES QUAS HABENT VIRES? Quid cum enodi junco te divexas Theologe? Planus Jansenii sensus est: deest quoque illis gratia efficax, seu desunt vires illæ majores præsentibus quibus possibilia fiant. Quid hìc arrosioni expositum esse potest?

IN CONCLUSIONEM VI.

Eliditur captiosa distinctio inter non posse & impossibile esse.

Hic primum Theologus dimicat adversus monstrum quod sibi ultro & spontaneè confinxit, eidemque velut Herculis clavam objicit magnum illud discrimen suum inter *Iustum aliquid non posse à Deo præceptum*, &, *idem ipsi impossibile esse.* At chymæram aggreditur pugil generosus, pernegatissimum quippe est, Jansenium simpliciter & nulla addita restrictione edixisse uspiam præcepta Dei esse homini justo impossibilia, seu usum voce à Tridentina Synodo & Sanctis Patribus profligatâ. Unum hoc asseruit, esse quædam ex illis, quæ hominibus quibusdam justis infirma voluntate præditis sunt impossibilia juxta præsentes vires. Si hanc enormem disparitatem non capit Theologus, sedentariæ meditationis antidoto medicandus est, donec nescio qua intemperie offusos cerebro vapores decoxerit.

Discrimen itaque, de quo inter nos disceptatur, non illud est, quod perperam & captiosè comminiscitur, sed quantum E. G. intersit inter propositiones has ex una parte: *Præcepta Dei servatu impossibilia sunt sine gratia Salvatoris, Præcepta Dei servatu impossibilia sunt per vires naturæ, Præcepta Dei servatu impossibilia sunt per solam legis doctrinam,* & illam ex altera: *Præcepta quædam magna, quæ ut compleantur*

tur

tur magnis gratiæ viribus opus habent, servatu impossibilia sunt per vires gratiæ tenues, quæ præsenti tempore dumtaxat adsunt.

Sic & licebit ad controversiam hanc disquirere, quantulum intersit inter locutiones has: *Præcepta Dei impossibilia sunt injustis omni privatis gratia*, &, *aliqua Præcepta Dei ardua, impossibilia sunt justis imbecillis, forti gratiâ ad enitendum in ista ardua destitutis.*

Vicissim licebit investigare quantum intercedat inter illam Augustini pericopen: *Cum fortis & potens voluntas* injusti V. G. ad conversionem *præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, quod prius difficile atque impossibile fuit*, & illam Jansenianæ cognatam: *Cum fortis & potens voluntas* justi V. G. ad martyrium *præparatur à Domino, facilè fit opus pietatis, quod prius difficilè atque impossibile fuit.* Hæc intervalla accurato circino à Theologo dimensa & designata optamus.

Interea dum hoc operimur, liceat voluptatis ergo, ultra septa, quibus Jansenium tuemur, nonnihil excurrere. Cum enim *animosus* pronuntier à Theologo, decet me in hanc palæstram ingressum etiam superfluâ victoriâ potiri. Igitur ut Theologum nostrum omni armatura sua expoliem, propugno, apud Veteres *non posse* & *impossibile esse* eâdem intelligentiâ usurpatum.

Clarum id est ex sententia Augustini jam allegata. Clarum ex loco Prosperi assignato superius, quo edixit: peccato subditos, *humiliatos per experimenta* IMPOSSIBILITATIS *sua invenisse se sine adjutorio Dei* NIHIL POSSE. Clarum id denique ex argumentatione Viri Eruditi regesta ad Conclusionem secundam nostræ *Criseos*, ad quæ omnia, ne assiduè magis ac magis abeamus à Mercurio nostro, primùm non gravabitur Theologus respondere. Nec reddat denuo (precor) imbelle telum suum, locutos Patres illos solummodo de injustis; quia, de quibus locuti sint, quid attinet, si vocibus illis *impossibile esse* non substraverint ideam *absolutæ impossibilitatis*, sed impotentiæ secundùm circumstantias præsentes coërcitæ, & aliis circumstantiis subeuntibus reficiendæ? Quô enim legem ferente, & rerum Universi hujus potiente, arbitrium, & lex, & norma loquendi ad solos Justos, seu in eorum solorum gratiam, devoluta est? Apage strophas illas, nimium crasso filo textas, ut vel imperitis fucum facere, si velint, possint.

Sed *animoso* etiamnum altius provehendum est. Ex firmissima sua munitione pellendus Theologus. Hanc fecit incumbere Tridentinæ periodo: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod non possis.* Eâ tam indesinenter, & inconditè miles Plautianus exultat, ut jam pigeat ultra ferre. Itaque animi gratiâ contendo, non discrevisse in ista periodo Tridentinum Concilium inter vocem *impossibile*, & vocem *non posse*. Non quod ex velitatione hac, ut satis evici, trophæa nostra religata sint, sed quò obstrepera illa battologizantis Theologi serra contundatur, & molestæ gloriationes isti sententiæ superstructæ in auras celeres evanescant.

Contendo igitur hunc esse sensum istius Tridentinæ periodi. *Deus absolutè impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere, quod tibi factu est impossibile.*

Quandoquidem vocem hanc ab Augustino Synodus mutuata sit, opinor, perspicuæ veritatis esse, genuinam verborum istorum ideam ex sensu & locutione Sanctissimi Præsulis arcessendam. De-

(a) *Spong. pag.* 25.

Desumptus est locus è libro de Natura & Gratia, quem conscripsit Aquila Sacrorum Procerum adversus Pelagium, *Hominis naturam contra Dei gratiam qua justificatur impius, & qua Christiani sumus, quanta potuit argumentatione defendentem*, ut ait libro Retractionum secundo, c. 42.

Ac primò falsum est, quod Theologus confidenter (*a*) asseruit, sermonem illic haberi de justis magis, quam injustis, ut ex iis quæ præcedunt non dubitanter elucet. (*b*) *Quis nescit* (ait illic Augustinus) *hominem sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum, sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt, qui gravibus saucius confossusq; vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiam, si jam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis. Iam nunc videamus unde possit, unde non possit*, &c. Contendo iterum, *non posse*, &, *impossibile esse* istic apud Augustinum confundi, seu converti, ut Philosophis loqui placet. Propugno, sicut dixit, *non ita potest*, phrasi sua loquendi & juxta ideas suas potuisse dicere *non ita possibile est*.

Ne hæc temerè jactare videamur, paulò post eodem libro de integro & lapso homine comparationem faciens: (*c*) *De homine sanis pedibus* (inquit) *tolerabiliter dici potest, velit, nolit habet ambulandi* POSSIBILITATEM: *confractis vero, & si velit*, NON HABET. Qui possibilitatem destruit, ut arbitror, impossibilitatem adstruit.

Rursus de lapso homine differens: (*d*) *Cæcus, puto, quod velit videre, sed non potest. Si autem vult & non potest, inest voluntas, sed amissa est* POSSIBILITAS. Quid manifestius enuntiari potest? Si enim possibilitas amissa est, ergo impossibilitas invecta.

Æquissimam quoque hujus impossibilitatis causam commemorat 67. ejusdem Tractatûs capite: *Illa est enim* (inquit) *peccati pœna justissima, ut amittat quisque quo bene uti noluit, cum sine ulla posset uti difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quod rectum sit, & qui rectum facere cum posset noluit*, AMITTAT POSSE *cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas. Ex ignorantia dehonestat error, ex difficultate cruciatus affligit. Sed approbare falsa pro veris, ut erret invitus, & resistente atque torquente dolore carnalis vinculi non posse à libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.*

Cupio adverti, in Augustini mente idem esse, quod vocat *difficultatem*, & quod vocat *non posse*. Explanans quippe quæ sit pænalis ista ignorantia & difficultas *sed* (inquit) *approbare falsa pro veris, ut erret invitus* (en quid apud illum sit ignorantia) *& resistente dolore carnalis vinculi* NON POSSE *à libidinosis operibus temperare* (en quæ sit illa difficultas) *non est natura instituti hominis, sed pœna damnati*. Porro, ut supra vidimus, *non posse* & *non possibile* seu quod in idem recidit, *impossibile esse* eodem apud ipsum alveo pervehuntur.

His præmissis, ita rem conficio de Tridentina periodo in quæstionem adductâ. Augustinus in fine libri jam frequenter citati sententiam suam Tridentino inditam aliis verbis repetens ait: (*e*) *Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum &*

(*a*) *Fol.* 4. *Assert.* (b) *C.* 43. (c) *C.* 49. (d) *C.* 51. (e) *C.* 69.

& bonum impoßibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Tantumdem enim est, ac si dixisset: *eo ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia absolutè non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus seu impossibilibus quid petamus.* Consonat enim hæc phrasis illius, cum illa altera jam aliquoties ingeminata: *Facilè fit opus pietatis, quod prius* DIFFICILE ATQUE IMPOSSIBILE FUIT.

In hoc etiam idiomate Augustinus fidelem interpretem suum Jansenium successorem habet, qui post editam propositionem litigiosam ipsissimo illo articulo nullis interjectis subdit, istam præcepta quædam quandoque implendi impossibilitatem *Sancti Petri exemplo, aliisq; multis quotidie manifestam esse, qui tentantur* ULTRA QUAM POSSINT SUSTINERE, *nec illam implendi talia præcepta* DIFFICULTATEM *inde proficisci, quod actus implendi debeat esse supernaturalis* &c.

Quid liquidius, quam *impossibilitatem, non posse, difficultatem*, penes Jansenium & Augustinum converti, adeoque celebratissimum, &, dum nox diem sequetur, celebrandum auctorem, velut integerrimum Magni Augustini unà cum Tridentino Concilio sectatorem habendum esse, nec nisi imperitissimâ calumniâ velut alterius corruptorem, alterius impugnatorem (quod facit Theologus) traducendum.

Demum apertissimæ denuo falsitatis est, quod ad calcem Conclusionis suæ solenni jam confidentiâ subtexit: *Tridentinum ubique* STUDIO DE SOLIS JUSTIS AGERE, *atque ab iis impossibilitatem præceptorum removere.* Contrarium manifestò evincitur ex eo ipso Canone 18. sessionis 6. quem nescio qua mentis caligine suam in rem proferre Theologus non erubuit. Canon habet: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini* ETIAM JUSTIFICATO, *& sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Num istud linguâ Theologi nostri *de solis justis decernere* est? Num, qui dicit Theologos, etiam Lovanienses, à se mutuo dissidere, penes solos Lovanienses dissidia fervere decernit? Anceps sum, quas tandem loquendi formas nobis ex adulatoria sua officina Magister noster nugivendus procudet.

IN CONLUSIONEM VII.

Exploditur gratia Thomisticè sufficiens.

QUæ de Wendrockii Dialogo hìc iterum promit Theologus, ut nebulas incautis objiciat, cum cæteris ejus plerisque impertinentia ac parerga sunt; quia nulla inter nos rixa est de *possibilitate* quadam remotâ, trito totius orbis idiomate confirmatâ, sed de mira quadam & exotica gratia *sufficiente* Thomistica, quæ non sufficit. Tametsi essentiam ejus, saltem quemadmodum à Theologo nostro depingi videtur, non velimus rejectam, nomenclaturam tamen insigni absurditate deliram arguere non dubitamus. Nequaquam

hic igitur disputatur, quô modò *gratiam suam Thomisticè sufficientem Theologus explicet*, sed an explicata modo quocumque sine ineptia vocari possit *sufficiens*. Hoc negamus.

Porro, nuncupationem illam ludricam à Montaltio risu exceptam, nescio qua vertigine Theologus noster inficiari sustineat. Quid? An non est risu excipere nomenclationem istam, dum miserabilem neo-Thomistam illum compellans quærit: (*a*) *Non satis est, mi Pater, si adsit omnibus* POTESTAS PROXIMA, *per quam tamen nihil agant*, *requiritur præterea* GRATIA SUFFICIENS, PER QUAM AGANT NIHILO MAGIS? *Haccine vestræ scholæ sententia est?* Atque, dum compellatum ita respondentem inducit: *Isthæc ipsa est, quin illam mane in Sorbona vah quam pulchrè exposui! totam ego semihoram implevi, ac nisi per clepsydram stetisset infandum illud dictum exterminassem, jam Parisiis pervulgatum:* NUTU SENTENTIAM DICIT, QUASI MONACHUS IN SORBONA. An non jocari est, dum eumdem Dominicanum aggreditur in hunc modum, *Videsne, mi Pater, hoc te dicere: Habent omnes gratiam, quæ satis sit, nec tamen habent gratiæ quod satis sit, habent gratiam, quæ sufficit & non sufficit, aut, si velis, quæ verbo sufficit, re non sufficit.* An non est ridere, cum demum concludit: *Certè, mi Pater, si quid in Galliâ possem, hoc curarem publicè à præconibus prædicari:* NOTUM OMNIBUS ESTO, CUM OMNIBUS ADESSE GRATIAM SUFFICIENTEM DOMINICANI DICUNT, ID EOS SIGNIFICARI VELLE, NON OMNIBUS ADESSE GRATIAM QUÆ REVERA SUFFICIAT.

Longè aliud est de *posse Wendrockiano*, quod tam omnium gentium vulgato sermone defenditur, quam istud *insufficienter sufficiens* omni sensus communis lumine repudiatur.

Querimur ergo, vocem, omnibus innatis notionibus repugnantem, nec nisi politico cuidam concentui, vel decipiendis imperitis, ac Molinisticæ demum gratiæ inferendæ, idoneam, in Lovaniensem Academiam jam intrudi, Majorumque terminos, quos Scholæ istius quondam celeberrimæ Patres posuerunt, & quos imprudens Theologus silere non potuit, transiliri.

Nihil enim ad oblevandam vocis turpitudinem confert, quod addatur *Thomisticè*; nec enim magis licitum delirare Thomisticè, quam Scotisticè. Age sodes, dic mercatorem, qui solis florenis mille potitur, habere nummos sufficientes ut domum magnificam exædificet, vel navem onerariam in Indos expediat; dic famelicum, qui unciam panis tenet, habere cibos sufficientes, ut rabidum ventrem expleat, dic nudum, cui sola femoralia adsunt, habere vestes sufficientes, ut corpus contegat, emoriar, nisi omnes te Anticyras ablegandum censeant, ut bono helleboro curatus redeas ad sanam mentem.

Cæterum, si vobis desipere statutum est, desipite vestris in pulpitis, quantum libuerit, numquam efficietis, quin totus mundus explosâ Thomisticâ illâ *sufficientiâ* (ita tamen malè nuncupatâ, cum D. Thomas nihil ejus meminerit) semper, & ubique, cibos, vestes, pecunias Molinisticè sufficientes, deamet.

Rogatus Theologus fuerat, ut apertè edissereret, in quo præcisè consisteret essentia mysteriosæ istius gratiæ Thomisticè sufficienter dictæ, eamdem (nisi multùm fallamur) in Augustino & Jansenio limpidè demonstrandam.

Jam

(a) *Epistolâ 2.*

Jam non obscurè mussitat, eam coincidere cum gratia illa *excitante*, quam *Majores nostri* (inquit) *appositè admodum describunt in censura sua ad Assert. VIII.* Hæc sunt verba Majorum, ipso quidem citante: *Non aliud est* (gratia excitans enarrata) *quam interior quadam suasio, quæ ut vehementior sit, magisq; quam exterior commoveat, & imperfecta quadam desideria, seu velleitates, excitare possit, cordis tamen conversionem non operatur, quin consistere cum eâ gratiâ tota ipsius cordis durities rebellioq; potest. Suadet ergo tantum non persuadet, adjuvatq;, sed hactenus tantum, ut benefacere quisque possit si velit: non autem ut absolutè velit, ac bene operetur, bonusq; ex malo fiat.* Ita illi.

Necdum pervenerat ad animum meum Eximia ista methodus ritè expiscandi mentem aliorum iis in locis ubi adversariorum suorum sententiam dumtaxat diducunt, explanantque copiosius. Talis est enim locus hic à Theologo è *Censura* decerptus, ut cuivis claruisset ad oculum, nisi oscitanter vel subdolè præcedentia secuisset. *Nam* (inquiunt) *excitans illa gratia, quæ in* Assertione *per præveniens auxilium in actu secundo intelligitur, non aliud est quam interior quadam Dei suasio, &c.* quæ mox allegata sunt.

Quandoquidem à Jansenio gratiam jam delineatam, quæ desideria illa imperfecta seu velleitates quasdam dumtaxat excitet, admissam esse, nemo valeat ambigere, qui libros ejus vel salutarit à limine, exactam, & verbis suis expressam gratiæ suæ *Thomisticè vel Martinianè sufficientis* definitionem exspectabimus à Theologo, ne adversus ipsum sive *in incertum currendo, sive aërem verberando* pugnemus.

Per Conclusiones ejus sequentes *Disquisitorem* directè impeti deprehendimus, quapropter ne falcem mittamus in alienam messem, & Viro Erudito adoream suam præripere coarguamur, transultum facimus.

IN CONCLUSIONEM XIV.

Augustiniana loquendi phrasis Prosperianæ præponitur.

QUò cavillationes in quintam Propositionem per Theologum nostrum intortæ dissiliant, atque effugia furtim captata penitus obstruantur, denuo cardo rei, quem semper velut anguem pressum Theologus refugit, nostris lectoribus præfigendus est. Hic vertitur in hoc poste: quæ sit idea genuina & naturalis harum phrasium: *Pro aliquo mori, pro aliquo sanguinem fundere, pro aliquo sese lytrum ac redemptionem dare.*

Visum fuit Jansenio post Augustinum: *(a) Phrasim, quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre, redemptionem, ex redimentis animo, in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi.*

Econverso contendit Theologus, *(b) Modum loquendi Prosperi* magis naturalem esse, quò Sanctus hic vult: Christum *rectissimè dici Salvatorem pro totius mundi redemptione crucifixum, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter communem in primo homine omnium perditionem,* tametsi omnibus illis Crucifixi

(a) *Capite disputato* §. 4. (b) *Nota* 9. §. 2.

cifixi mors non profuerit, adeoque ex intentione redimentis (quæ inanis non potest esse) nec oblata fuerit, nec directa.

Tam est absona hæc Theologi machinatio, ut si ad lippos tonsoresque aut olitores judices concertatio nostra devolveretur, non immunis à sannis ac forte nec à pugnis abscederet, qui notiones lucidissimas, humanæ menti ingenitas, universâ normâ loquendi usitatas ac tritas, enuntiandi formulæ, ut minus dicam, maximè impropriæ, postponere non reformidat.

Quis, nisi perquam præfractæ vel emotæ mentis, dixerit, naturalem, & quidem *magis naturalem* loquendi formam esse, qua edicatur sodalis alter pro altero persolvisse, si dumtaxat aliqua effecerit, quæ mutatis circumstantiis ad solutionem faciendam conferre poterant, tametsi neque absolutâ voluntate prioris, neque posterioris utilitate, ulla solutio consecuta sit.

Cum hæc absurditas sano & acri Jansenii judicio multò esset clarissima, tamen, quâ ferebatur in Patres reverentiâ, non fastidiosè & arroganter, sed modestâ transitione semovit sententiam Prosperi, ut genuinam Sancti Patris Augustini tum *antiquioris*, tum citra invidiam *doctioris*, atque auctoritate pollentioris sufficeret. Nihil est his exploratius perlegenti Capitulum litigiosum.

Tædet me, vereorque ne pertædeat Lectores meos hanc crambem denuo recoctam apponi. Cum initio Capitis illius vigesimi questus esset Jansenius: Recentiores pro gratia sua sufficienti trita & obsoleta Massiliensium arma colligere ac recudere, videlicet, quod *Christus omnium Redemptor sit, adeoque omnibus sufficientem gratiam præpararit, quam qui vellet arriperet aut abjiceret, atque operationem ejus consentiendo aut dissentiendo fructuosam aut cassam redderet pro sua libero arbitrio voluntatis,* (a) *Nil mirum* (inquit) *iis Recentioribus videri debet, si iisdem argumentis, quibus Massilienses usi sunt, easdem Augustini & Prosperi solutiones opponamus.* Hoccine est fastidiosè submovere sententiam Prosperi? *Respondeo igitur, quando Christus ab Apostolo dicitur* REDEMPTIONEM SEMETIPSUM DEDISSE PRO OMNIBUS, *in Cruce videlicet pro omnibus moriendo, ab aliquibus intelligi, quod se dederit redemptionem seu ἀντίλυτρον, id est pretium pro omnibus omnino sufficienter, quia sufficiens pretium obtulit, non tamen pro omnibus omnino efficienter, quia non omnibus applicatur ista redemptio, idque juxta regulam à Sancto Prospero diversis in locis traditam.* Hoccine est fastidiosè submovere sententiam Prosperi? Et in fine ejusdem paragraphi: *Solutio ista facilis est, ex qua nullo modo sequitur, sufficiens adjutorium omnibus ex tali redemptione omnium esse præparatum.* Hoccine est fastidiosè submovere sententiam Prosperi?

At, inquiet Theologus, fastidiosam rejectionem paragraphus sequens exhibet. Videamus illum.

Sed quia in istis verbis apertè profitetur Prosper REDEMPTIONIS PROPRIETATEM *haud dubiè penes illos esse qui sanctificantur in Sanguine Christi, & quia ipsa phrasis qua quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare, præ se ferre videtur redemptionem ex redimentis animo in usum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Christi inanis esse non potest, & quia alioquin etiam pro dæmonibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sine dubio pretium Sanguinis ejus est sufficiens, ac denique quia Prospero antiquior ac doctior Augustinus numquam in scriptis suis fatetur, Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptionem,*

vel

(a) §. 2.

vel crucifixum esse, vel mortuum, sed tantummodo pro illis quibus mors ejus profuit, qui certo modo multi & omnes sunt, hinc genuinius veriusq; respondemus, Christum dici SE DEDISSE REDEMPTIONEM PRO OMNIBUS, *hoc est pro universa sua Ecclesia toto orbe dispersa, & consequenter pro omnibus hominum generibus, regibus, privati s, nobilibus, ignobilibus &c. Prout superiori capite ex Augustino declaravimus, itemq;* PRO OMNIBUS, *hoc est pro hominibus omnium nationum, linguarum, & gentium, Iudæis videlicet ac Gentilibus, ex quibus congregatur universus populus Dei, secundùm istud Apocalypseos:* REDEMISTI NOS DEO IN SANGUINE TUO, EX OMNI TRIBU, ET LINGUA, ET POPULO, ET NATIONE. His continentur omnia quæ Prosperum hîc concernunt, quibus quid potest esse moderatius? Quid isthic, quæso, quod alicujus justitiæ specie Momus aliquis vel Zoilus reprehendat? An è binis loquendi formulis alteram eligi veluti potiorem? An maximè proprium fandi modum anteponi improprio, usitatum inusitato, naturalem & ingenitum violento? An Augustinum præferri Prospero, Magistrum discipulo, tam gloriosum Ecclesiæ Antistitem laico?

Quid, quod nec ipse Prosper, advertente Jansenio, in ista explicatione sibi multùm constare visus sit: fatetur enim, *Redemptionis proprietatem haud dubiè penes illos esse, de quibus princeps mundi missus est foras, & jam non vasa diaboli, sed membra sunt Christi.* Annuit, (*a*) *Dici posse pro his tantum crucifixus, quibus mors ejus profuit*, quæ ipsissima Augustini ac Jansenii sententia est.

Quapropter non malè quis censeat, explanationem illam minus invidiosam, sed etiam minus solidam, à Prospero mitigandis Augustini adversariis fabricatam.

Hæc autem mitigatio in Jansenium non poterat cadere, qui non scribebat ut auctor, seu de suo novus Augustini defensor, sed ut relator, interpres, expositor, adeoque illicitum erat illi alienis ab Augustino suo explanationibus adhærere.

Provocat enim tacitè Jansenius Theologum nostrum, ut, si possit, demonstret, dari (*b*) *Locum ullum in universis Augustini operibus, ubi doceat, Christum pro peccatis infidelium in infidelitate permanentium esse propitiationem, vel pro illis se dedisse redemptionem.* Cum non nisi Augustinianæ doctrinæ historicum se Jansenius venditet, necesse prorsus est, Jansenio-mastigen nostrum, si animos habet, huic provocationi parere. Faciat ergo periculum Dares iste, qui juvenilibus vitilitigationibus fretus, nostrum veteranum in Augustino Entellum lacessit cæstibus.

Nos interea accedimus Viro Magno contraria probanti ex Augustino, divinisque litteris, per Doctorum apicem elucidatis. (*c*) *Mundus*, ait Augustinus, *est plenitudo terræ, sicut dixit ipse Ioannes: non solum autem nostrorum propitiatio peccatorum est, sed & totius mundi. Mundi dicit*, OMNIUM FIDELIUM PER ORBEM SPARSORUM.

(*d*) "Quam doctrinam (inquit Jansenius) Sanctus Augustinus ex Sacris „Litteris videtur didicisse, quæ frequentissimè inculcant, Christum pro fidelibus „suis, ovibus suis, populo suo salvando mortem subiisse, *Animam* (inquit) *meam „pono pro ovibus meis.* Et alibi: *Redemptionem misit Dominus pro populo suo.* Et „Angelus ad Sanctum Joseph: *Vocabis nomen ejus Iesum, ipse enim salvum faciet „populum suum à peccatis eorum.* Unde & ipse Dominus indicans pro quibus

omni-

(a) *Resp. ad cap. 9. Gall.* (b) §. 4. (c) *Tract. 5. in epist. Ioan.* (d) §. 5.

,,omnibus sese redemptionem obtulerit, ait: *Exaltari oportet filium hominis, ut*
,,*omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et hos ipsos esse
,,totum mundum seu omnes, pro quibus se redemptionem dedit, satis indicat,
,,dum subjungit: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret,*
,,pro eo videlicet redimendo. Et quis iste mundus, pro quo Filium suum uni-
,,genitum dedit? *Vt omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*
,,Et Apostolus Paulus in epistola ad Ephesios: *Christus dilexit Ecclesiam, & se-*
,,*ipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

Atque istam Augustini sententiam deinceps confirmat calculis Lugdunensis Ecclesiæ, & Concilii Valentini: *Catholica fides tenet* (* ait Ecclesia Lugdunensis) *& Scriptura sancta veritas docet, quod pro omnibus credentibus, & per gratiam baptismi ex aqua & Spiritu Sancto regeneratis, & Ecclesiæ incorporatis verè Dominus & salvator noster sit passus. De infidelibus vero eâdem constantia definit: cesset hac nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum etiam impiorum & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit, cum pro solis illis defunctis passionem sustinuerit, qui eum, dum in corpore viverent, fideliter venturum & mundum sua passione redempturum crediderunt.* HOC ITAQUE EST CATHOLICUM, *hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum.*

Consonat his Concilium Valentinum: *De redemptione sanguinis Christi, propter* NIMIUM ERROREM *qui de hac causa exortus est, ita ut quidam, sicut eorum scripta indicant, etiam pro illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini in sua impietate mortui, & æterna damnatione puniti sunt, effusum definiant, contra illud propheticum: ero mors tua o mors, ero morsus tuus inferne; illud nobis simpliciter & fideliter tenendum ac docendum placet, juxta Evangelicam & Apostolicam veritatem, quod pro illis hoc datum pretium teneamus, de quibus ipse Dominus noster dixit: sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium filium hominis, ut omnis qui credit in ipso non pereat, sed habeat vitam æternam.*

(b) *Ex quibus omnibus* (infert Jansenius) *jam satis arbitror patere, argumentum istud, quo Christus pro omnibus passus & mortuus, vel redemptionem se pro omnibus dedisse dicitur, nihil omnino pro auxilio sufficienti omnibus, nemine excepto, suppeditando facere. Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit, cum hoc potius tamquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum.*

Quid hic non ferreâ lege consequitur? Quid hic à veritate, & historia facti dissonum? An non perspicuæ sunt S. Augustini, Ecclesiæ Lugdunensis, & Concilii Valentini sententiæ? Et tamen hæc sunt, quæ modestus Theologus noster admordet, ac *seipso iterum majorem* declamat Jansenium, evidentissimè non aliud quam Magistri sui Augustini & Conciliorum doctrinas summatim narrantem. Vereor equidem, ut illi propediem dentes à morsu stupeant.

Hoc est (infit) *Sancti Prosperi viam negare, improbare, rejicere, ne dicam damnare.* Placetne, pauperculo demum aliquid ultro concedamus, ad leniendam nonnihil ubique se prodentem penuriam? Demus ergo gratis demptâ duritie terminorum, quod tam diuturna molitione ambit, non probatam à Jansenio viam Prosperi. Quid tum? Quæ vis illum compellebat probare viam istam? Quid hoc ad instituti ejus rationem, quæ non aliud ferebat, quam edere Augustinum?

Sed

(a) *In libro de tenendo script. verit. in auctario bibl. SS. PP. tom. 2.* (b) Cap. 4. (c) §. 4.

Sed non contentus liberali nostra concessione Theologus majora postulat. *Revera*, ait, *cohibere me nequeo, quin credam ipsum putasse, hujus S. Patris sententiam, qua mortem Christi bono sensu ad omnes omnino, nemine excepto, extendebat, à Concilio Valentino & Ecclesia Lugdunensi damnatam fuisse, quidquid alibi mollius de Prospero loquatur.* Author sum tibi, ut mentem & judicium pacatæ illius, quam ostentas, modestiæ, & attentæ prudentiæ cancellis sepias, & facile cohibeberis. In via Prosperi veritas sententiæ ejus separanda est à forma loquendi. Veritas sententiæ est, * *Quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguinem Christi redemptionem esse totius mundi*, hoc est, sufficiens fuisse pretium illius sanguinis pro toto mundo redimendo. Hanc nemo inficiatur. Forma loquendi ejus, ut se ab adversario suo expediat, vult hoc sufficere, ut Christus dicatur *pro omnium hominum salute & redemptione* passus & crucifixus. Illam loquendi formam non quidem damnavit disertè Concilium, sed cum Augustino, quem secutus Jansenius, aliam inivit.

Accepit voces *pro aliquo quidpiam facere* juxta notionem vulgarem & naturalem, quæ menti nostræ instillat fixam in faciente intentionem, certamque volitionem, ut alteri prosit.

Utri ergo nobis jam potius adhærendum est? Penes lippos & tonsores, ut dixi, hujuscemodi examen esto.

Interia procul imposterum ab auribus nostris stolidæ illæ næniæ per obstinatum Theologum recantatæ: *Integrum non fuisse Iansenio à Prosperi via recedere*, Jansenio utique cujus scopus erat exprimere Augustinum, qui de viâ illâ ne somniavit quidem, qui diametraliter oppositam tenuit, numquam videlicet exponens vocem *omnibus* de *omnibus omnino*, & qui superstes, ut non vana est conjectura, declinationes illas dilutas sui discipuli non magni pendisset.

Dein rursus ad mysteria sua, à se solo utique (præterea nemine) in quodam Tridentini capitulo conspecta Theologus defluit. difficile est ingenio confidenti, præsertim titulis pompaticis, & variorum assentatorum faustâ acclamatione incenso, à concepta opinione discedere. Nullus ambigo, quin adversus cavillatoriam expositionem à me allegata omnem librati judicii censorem convincant, ne per umbram concilium in isto capitulo evolutum voluisse litigiosum sensum istius periodi *Christus pro omnibus mortuus est*. quid hoc intererat? Quis hoc quærebat? Quis disputabat? Usa fuit synodus illis vocibus, prout iacebant in prato Scripturarum, adeoque ab omnium obstreperorum calumniâ tutis, securis, innoxiis. Nudè igitur edixit ambas has veritates: Christum pro omnibus quidem secundùm Scripturas mortuum dici, non omnes tamen in individuo mortis ejus beneficium recipere. Remotissimum ab animo Concilii fuit, illic subtiliter disquirere, ac minus definire, an prior propositio sonaret pro singulis generum, an generibus singulorum, an dimisso Augustino jam Prosper assumendus esset ab Ecclesia Catholica, ut Theologus nugatur, adeoque Theologis indictum, deinceps non recedere magis ab illa, quam à fide, & Catholicæ gremio unitatis. Quis in Concilio hæc animo versavit? Quis post Concilium meminit? Quis ante Theologi nostri cavas imaginationes proferre ac tueri sustinuit?

Sed non satis est. Suo iterum mucrone, hoc est ipso Concilio Tridentino Theologus confodiendus est.

Notâ

* *Resp. ad object. 1. vinc.*

Notâ suâ X. nuper probare volens, *Ecclesiam Christi his temporibus ita amplexam esse hanc Prosperi viam, ut merito censeri debeat illam fecisse suam, Concilium Tridentinum* (aiebat) *sessione 6. agens ex professo de justificatione, atque adeo cap. 2.* DE DISPENSATIONE ET MYSTERIO ADVENTUS CHRISTI, *diserte ex Apostolo ita caput istud finierat:* HUNC PROPOSUIT DEUS (*Jesum Christum*) PROPITIATOREM PER FIDEM IN SANGUINE IPSIUS PRO PECCATIS NOSTRIS, NON SOLUM AUTEM PRO NOSTRIS, SED ETIAM PRO TOTIUS MUNDI. *Ne autem dubitare quis posset, quo sensu id intelligeret, nempe an pro singulis generum, ut vocant, an vero pro generibus singulorum tantum, mox ipso Capitis sequentis* (*cujus titulus est:* QUI PER CHRISTUM JUSTIFICANTUR) *initio ita prosequitur:* VERUM ETSI ILLE PRO OMNIBUS MORTUUS EST, NON OMNES TAMEN MORTIS EJUS BENEFICIUM RECIPIUNT &c.

Nego, vel Scripturam Apostoli, seu potius S. Joannis, intelligendam, vel à Concilio intellectam pro singulis generum.

Non ita intelligenda Scriptura est: quia, ut rectè * Estius post Cyrillum, germanior illius loci sensus est: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, id est, Judæorum, ad quos Joannes scribebat, *non pro nostris autem tantum sed etiam pro totius mundi*, id est, sed etiam pro peccatis gentilium toto orbe sparsorum. Ita ut hic locus consonet Evangelio suo, ubi ait Caipham prophetasse, *Quod Jesus moriturus erat pro gente*, nempe Judaica, *& non tantum pro ea gente, sed ut & filios Dei, qui erant dispersi*, nempe per totum mundum, *congregaret in unum.*

Suffragatur eidem explanationi S. Augustinus enarrante Jansenio. Nam Tractatu octogesimo septimo in Joannem, cum illa verba exponeret, *Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret*, ita loquitur: *Universæ utique hoc dicit Ecclesiæ, quam plerumque etiam ipsam mundi nomine appellat, sicut est illud, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; itemque illud, non venit filius hominis ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Et in epistola sua Joannes ait, Ipse propitiator est peccatorum nostrorum, non tantum nostrorum, sed etiam totius mundi.* TOTUS ERGO MUNDUS *Ecclesia est, & totus mundus odit Ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatum.*

Neque etiam aliter hic locus intellectus est à Concilio Tridentino, uti liquet ex verbis immediate præcedentibus, quæ acrius animadversa conceptum singularem Theologi dispulissent. *Cælestis pater*, habet Concilium, *pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, Christum Jesum filium suum, & ante legem, & legis tempore multis sanctis Patribus declaratum, ac promissum, cum venit beata illa plenitudo temporis, ad homines misit, ut &* JUDÆOS, *qui sub lege erant, redimeret, &* GENTES, *quæ non sectabantur justitiam, justitiam apprehenderent, atque* OMNES *adoptionem filiorum reciperent.* Et tum subjungit Scripturam, quam discutimus: *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem nostris, sed etiam pro totius mundi.* Sensus est: hunc enim secundum Scripturas proposuit Deus propitiatorem non tantum pro peccatis *Judæorum*, sed etiam pro peccatis *gentium*, qui toto mundo diffusi sunt. Nam hic textus hic subtexitur vice rationis, ut manifestum est. Adeoque, quod rem conficit, sensus eorum, quæ immediatè sequuntur, *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est; non omnes*

* *In cap. 2. epist. 1. Joan. v. 2.*

omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, non alius etiam est, quam, *etsi ille pro omnibus*, hoc est, omni hominum tam Judæorum, quam paganorum gente & natione *mortuus est*, non omnes tamen individui Judæi & gentiles *mortis ejus beneficium recipiunt*.

IN CONCLUSIONEM XV.

Loca Apostoli Theologo adimuntur.

PErstat denuò Theologus in expositione sua locorum Apostoli ad Romanos & Corinthios: *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est? Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Magnos & gloriosos animos difficilè subjugabis. *Quæ ego dicta Apostolica* (inquit) *sic intellexi ut sensus foret: Christum pro fratre isto perituro mortuum esse, ad hoc ne is periret, nempe morte æterna.* Pessimè adversus Augustinum, nec Augustinum modò, sed adversus fidem, adeoque parum abest, quin dicam, hæreticè sic intellexisti. Adversus Augustinum quidem, quia intentio morientis Christi irrita non potest esse, magno isto Patre denuntiante, * *Omnipotens velle inaniter non potest, quodcumque voluerit.* Et alibi: * *Non perit unus ex illis pro quibus* (supple, ad hoc ne perirent) *mortuus est Christus.* Atque hæc sufficiunt ad propugnandum Jansenium Augustini interpretem, sed nequaquam ad infidelem propositionem pro meritis flagellandam.

Quæ enim Christianæ aures patienter ferant has horridas voces: *Peribit frater aliquis morte æterna, propter quem Christus mortuus est, ad hoc ne is periret æterna morte?* Ergo evacuata est oratio Crucis. Ergo falsus est Apostolus dicens: *Exauditus est pro sua reverentia.* Ergo concidit sermo æternæ Veritatis: *Ego sciebam, quia semper me audis.* An fortè pro iis mortuus est, pro quibus non oravit? An datum est istâ morte aliquod efficacius orandi genus?

In hæc absona prolabi digni sunt, qui posthabito Doctorum aquilâ Augustino inquietâ prurigine supra vulgus sapere affectant, & (quòd Theologiæ lauream, miserrimis jam expositam, adepti sint) magnis illis Ecclesiæ luminibus tacitè semotis, etiam ipsi nomen aliquod decusque in Ecclesia gerere moliuntur. Sed meminisse oportet Josephi istius, & Azariæ, ac Scripturæ Machabæorum: *Ipsi autem non erant de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israël.*

Tametsi enim, ut vellet Theologus, de perditione æternâ loca Apostoli assignata intelligi quoquo pacto possent (quod improbavimus argumentis ex ipso contextu desumptis, quæ cominus confertâ manu diruere debebat Theologus, non aliò fugere) absit tamen, ut hanc terrisonam sententiam ederent: *Peribit infirmus in tua scientia frater æternâ morte, propter quem Christus mortuus est ad hoc ne illâ morte periret*; sed tum sensus illius periodi germanus deberet esse: *Peribitne infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est, uti patet ex fide sancta quem tenet, & salutaris baptismi gratia quam recepit.* Quod si quis SCRUTATOR MAJESTATIS, & Consiliorum Dei ultra à Paulo quæreret, mortuusne pro illo Christus est ad hoc ne his pereat in æternum, an dumtaxat pro suppeditan-

dis

dis temporalibus quibusdam gratiis, replicaret: * *Quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Seu verbis Augustini: *Multum est à me, abyssus est, profundum Crucis est*; hoc est, replicaret: Quod postulas, ignoro, non penetro, non capio, non investigo. Tu fac quod tuum est, videlicet ne frater fidelis virtute mortis Christi sacris undis in salutem initiatus per te intereat.

Proinde rursum extra oleas nostras abeunt, quæ Theologus ingerit de Montaltio. Agit hic quippe vicissim de fidelibus fratribus, hoc est, Christianis baptismi fonte regeneratis. *Qui*, inquit, *ex Iesuitarum decretis* FRATRES SUOS *à crimine recentes interficiunt, hi tartaro dimittunt illos, pro quibus Christus mortuus est.* Rectissimè ergo professus Montaltius, *Pro* ILLIS DAMNATIS *mortuum esse Christum, ac proinde non pro solis prædestinatis mortuum esse*, quod cum Jansenio amplexamur omnes, quotquot ubique sumus S. Augustini Discipuli.

At iidem rejicimus commentationem Theologi multò absurdissimam, quâ Montaltii sermonem adulterat, *ut apertè censeatur professus pro damnatis (utique ne damnarentur) mortuum esse Christum.*

Ex his jam satis emicat solutio Conclusionis XVI. quæ tamen, quia *Disquisitorem* vellicat, Viri Eruditi victoriis reservanda est. Itaque

IN CONCLUSIONEM XVII.

Stabilitur similitudo nostra, & Theologi repudiatur.

NIhil hic obviat singulare, præterquam confirmanda similitudo nostra, & Theologi repellenda. Hoc facili negotio perficimus in hunc modum.

Exemplum nostrum directè intuetur scopum seu punctum quæstionis, quid nimirum significet PRO *aliquo mori*, PRO *aliquo sanguinem fundere*, vel quidquam aliud efficere. Atque hoc omnino satis est ad comparationem justam etiam ut non claudicet.

Porro quid hi termini attentè expensi apud omnem mentem rationalem insinuent, & quisque in se experimentum capere potest, & supra abunde, nimiumque, quam res tam clara flagitat, declaratum est.

Non agitur itaque, mi Theologe, inter nos, an Tu *post Prosperum consideres, quod pretium istud magnum sic oblatum sit, ut virtute ejus instituta sint media generalia, à quibus nemo hominum etiam reproborum conditione sua arcetur, quibusque pretium illud ex offerentis intentione omnibus* APPLICARI POSSIT, sed an hæc justè consideres, relicto gravi Magistro secutus Discipulum: nos enim dicimus, particulam PRO non designare offerentis intentionem, ut pretium, pro quibus offertur, dumtaxat prodesse POSSIT, sed etiam prosit. Hæc ad tuendum exemplum nostrum.

E converso fallit, & toto, quod aiunt, cœlo aberrat similitudo Theologi. Deberet quippe statui filius opulenti istius Viri gnarus & præscius voluntatis paternæ, atque ita illam exosculans & observans, ut non possit non illam probare, amplecti, & totâ virtute induere. Talis enim erat dispositio morientis Salvatoris

erga

erga voluntatem Patris sui, adeoque, si verum est, quod Augustinus ait, *Ecclesiam, si nosset, qui sunt illi, qui prædestinati sunt in ignem æternum ire cum Diabolo, tam pro eis, ut ab igne illo alieni essent, non oraturam, quam pro ipso Diabolo*, quanto magis id verum est de Christo Sponso ejus, nisi fortè velit Theologus, teneri Christum divinæ voluntati minus esse subditum, quam Ecclesiam. Quæ ista vicina impietati insulsitas est?

In Conclusionem XVIII. finalem & Apologeticam.

Difflantur Theologi cætera.

Videri primùm posset ostentatæ sæpius modestiæ jam nonnihil Theologum piguisse. *Tametsi*, ait, *initio dixerim, nihil me repositurum ad dicteria* SPONGIÆ; *meritò tamen reposuero pauca ad accusationes, quæ videri possent dicteriorum fundamenta.* Enarratis fundamentis illis, multa commiscet plerumque extranea ad hanc Provinciam, quæ nos propterea levi penicillo perstringimus. Quod ait, *in Gallia neminem ad honores admitti, qui non simpliciter formulario subscripserit*, falsum est: nam in paucis admodum Ecclesiis, imo nec quoad pleraque beneficia in ipsa Parisiensi, formularii subscriptio vigorem habet.

Gloriatur se de Facto Jansenii disseruisse *ex oculari Operum Iansenii inspectione.* Nil præstitit minus. Textûs Jansenii Facto illi lucem rutilantissimam inferentes velut colubri faciem semper exhorruit.

Appellat deinceps denuo modestiam suam, sed cum involucro mysteriorum. *Ferociant*, inquit, *ut voluerint; ego quam cœpi viam insistam constanter.* FATA VIAM INVENIENT. *Satis dixi.* Hic analogica vel astrologica latent arcana, quibus OEdipo conjectore opus est, vel Delio natatore.

Posthæc excusationes varias congerit, cur Jansenium admordere aggressus sit, quarum nulla valet teruncio. *Quod Lovaniensis Academiæ Doctor sum*, inquit, *id eo potius me impellere debuit, ut Iansenium refutarem, qui itidem Lovaniensis fuit.* Id verò te impellere debuit, ut Academiæ tuæ honori, & tanti Viri manibus parceres, nisi accusatio tua & Ecclesiæ Dei necessaria fuisset, & omnem evidentiam supergressa. At quam ingenti hinc dissidet intervallo!

Sed inquit, *ut Iansenium refutarem.*

Infelix puer, atque impar congressus Achilli!

Credidi, ait, *etiam non majus piaculum fore, si quis Lovaniensis Lovaniensem refutaret Iansenium, quam si Wiggerium, quem omnes patimur æquo animo refutari.* Bella iterum Doctoris nostri Jansenium inter & Wiggerium analogia.

Quod item, pergit, *Ipris Canonicus fui, non minimo mihi incitamento fuit, ut unde error venerat, inde veniret qualecumque erroris remedium.* Pharmaca tua qualiacumque tibi sint circulator. Non medicatoribus istis tempus eget.

Adde quod inter Iprenses Episcopos non major mihi sit obligatio erga C. Iansenium quam v. g. erga G. Herincx. Inurbana & ingrata vox! sed mittamus illam. Canonicum quemcumque in Collegii sui Antistitem involare, eumque in Ecclesiæ perduellium castra protrudere, nisi causa, ut dixi, perquam sit manifesta & necessaria, horrendum est.

Sed

Sed quid ego his & subsequentibus parergis diutius immorer? Finio itaque, ut Theologus, cum JANSENISTÆ vocabulo.

Si locutionis, fixarumque mentibus idearum, imperium teneret Theologus, nomenclationi ejus atque descriptioni actutum accederemus. Nam eo dumtaxat, quo describit, pacto Jansenistas haberi, & esse, magno duceremus honori. Quid enim generosius, in hoc genere, quam eniti, ut primi ordinis Sacerdotem, Scripturarum nostrarum elegantem explanatorem, hæreticorum, dum vita fuit, expugnatorem egregium, Belgii nostri Episcopum, Academiæ Lovaniensis Doctorem, Virum ingenio acerrimum, judicio maturissimum, moribus integerrimum, omni litteratura expolitum, in perfecta erga Matrem suam Ecclesiam, atque Sedem Apostolicam submissione ac reverentia vitâ functum, detersâ omni hæreticæ pravitatis labe, Ecclesiæ Catholicæ vindicemus? Quis nisi severi, ut ne dicam maligni animi, hos conatus, tametsi non eluctarentur, conflabit in vitium? Licet enim, quod absit, aberratum esset in Apologia tam Sancta & Christiana, tam comis error in causa tam magnifica censendus esset apud cordatos rerum arbitros non venialis modo, sed pæne laudabilis. Efficiat ergo (Amabimus) eximia, qua valet, auctoritate, & confœderatarum phalangum societate Theologus noster, ut ea, quam describit, JANSENISTÆ idea, ab universis maculis suis, &, ut Philosophi aiunt, connotatis purgata apud summos infimosque per orbem Christianum obtineat.

Porro antequam id perfecerit, & quamdiu exoticum hominem, nec sanæ fidei (ut usus habet) personabit vox ista, æqui bonique consulet modestus Theologus, si illam ut contumeliosam ac maledicam aversemur, descriptione sua moderata nequidquam abblandiente.

F I N I S.

Deus dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos.
Psal. 52.